



HEinricus Brabantinus eruditione & uite san-
ctitate conspicuus extitit. Itaq; S. Aegidij in
Brūsuico abbas electus fuit. Is cum Heinrico Van
dalorum principe Hierosolymam proficiscens,
Constantinopoli in præsentia Imperatoris cum
Græcis de S. Spiritus processione disputauit, atq;
ex ipsorum Orthodoxis patribus ijs ostēdit, eum
à patre & filio simul procedere. Cum is domum re-
uersus esset, atq; Lubecensis ecclesia suo pastore
orbaretur, Heinricus omnium consensu eius loci
Episcopus constitutus fuit. Cum ei literæ electio-
nis & principis uoluntas significaretur, Legati eū
intuentes eius sententiam inquirebant. Ille ut erat
singulari prudētia præditus, defixo diu in terram uultu, respondit: **M**agnum
est, fratres, ad quod me uocatis officium, nihil ego in me tāta uestra de me ex-
pectatione dignum agnosco. quale sit onus uideo in Domini uinealaboran-
tibus præsidere. quia tamen non tam ad honorem quam laborem uocor, Dei
uoluntati parendum censeo.